

35 Parallelae rectae lineae sunt, quae in eodem existentes plano, & ex utraque parte in infinitum productae, in nulla parte concurrunt.

Secundum, Postulata.

1 Ab omni signo in omne signum, rectam lineam ducere. 2 Rectam lineam terminatam, in continuum rectumque producere. 3 Omni centro & interuallo, circulum describere. 4 Omnes angulos rectos, adinuicem aequales esse. 5 Si in duas rectas lineas recta linea incidens, interiores & in eadem parte angulos duobus rectis minores fecerit, rectas lineas in infinitum productas concurrere necesse est ad eas partes in quibus anguli duobus rectis minores existunt.



Tertium Communes sententiae.

1 Quae eidem aequalia, & ad inuicem sunt aequalia. 2 Et si aequalibus aequalia adiciantur, tota erunt aequalia. 3 Et si ab aequalibus aequalia auferantur, quae relinquuntur aequalia erunt. 4 Et si inaequalibus aequalia adiungantur, tota erunt inaequalia. 5 Et si ab inaequalibus aequalia auferantur, reliqua inaequalia erunt. 6 Quae eiusdem duplicia sunt, ad inuicem sunt aequalia. 7 Et quae eiusdem sunt dimidium, aequalia sunt adinuicem. 8 Et quae sibi metipsis conueniunt, aequalia sunt adinuicem. 9 Totum, est sua parte maius. 10 Duae rectae lineae, * superficiem non concludunt.

χωρόν